

Lucas Schröder Johannes Godfridus Kopstadius

Dissertatio Pneumatica Prior De Aeternitate Dei, Cuius Theses Aeterni Numinis Auspiciis

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586189>

Druck Freier  Zugang



Ru 7716 1673
Lucas Schröder
Johann Sumpffs Kopfbad



DISSERTATIO PNEUMATICA
PRIOR
DE
ÆTERNITA-
TE DEI,

Cujus Theses

Æterni Numinis Auspiciis

&

Indultu Amplissimi Philosophorum
Senatus

IN ACADEMIA VARNIACA
PRÆSIDE

M. LUCA SCHRÖDERO,
Gustroviensi,

&

RESPONDENTE

JOANNE GODFRIDO KOPSTA-
DIO, Sufato-Westphalo, SS. Theol. &
Philos. Stud.

Publicæ eruditorum censuræ
exponentur

ad diem XIII. August. Anno M. DC. LXXIII.

In Auditorio Majori


ROSTOCHII, Typis, JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

Disertatio de

Prælo

de

ÆTERNITÀ

THESE

Chas. Theiss

Medicinæ Numinis Aulicis

&

Inductæ Amplissimi Philoſophorum

ſententiæ

IN ACADEMIA VARNIAŒA

PR. P. 1776

M. I. UCA SCHROEDER

Coſtoviensis

&

ſententiæ

JOHANNES GÖPPERDO KOSTA

Mag. J. G. W. Schlegel, 28. 1. 1776

ſententiæ

Publicæ ſententiæ

ſententiæ

ſententiæ

In Aulicis

ſententiæ

ROSTOCK, JOHANNES SCHROEDER



Q. B. V.

DE

ÆTERNITATE DEI.

THESIS I.

Ut attributorum divinatorum, per quæ unica & simplex Dei essentia concipitur, aliquis datur ordo, secundum quem unum altero est prius; ita Æternitatem Dei (*de quâ in presenti agere sustinemus*) in signo rationis quasi præcedit ejus Infinitas.

§. 1.



Quidem nihil esse in Deo, quod non sit ipse Deus, nihil, quod vel temporis ratione alterum consequatur, aut ab alio tanquam à causa dependeat, pro fide Catholica piè credimus Christiani. Neque credimus tantum, sed scimus insuper ex rationis lumine, insignem implicari contradictione, si Ens simplissimum, perfectissimum & infinitum, primum principium, purissimus actus, ex realiter distinctis componi vel constare statueretur. Præter compositionem enim simplicitati repugnantem, argueretur Deus potentie passivæ, imperfectionis & impuritatis; quin nec hac ratione primum foret principium, sed suis componentibus aliquid posterius.

§. 2. Ea tamen intellectus nostri in via adhuc ad terminum (coelestem scil. patriam) constituti imperfectio & hebetudo est, ut essentiam divinam; ob infinitas, quarum pelagus est, perfectiones,

nes, in summa Dei simplicitate, & simplicissimâ entitate realiter identificatas, uno, simplici ac adæquato actu penetrare & exhaurire nequeat. Quò ergo intellectus finitus aliquâ saltem ratione ad cognitionem objecti infiniti pervenire valeat, necesse habet, ea, quæ in Deo simplicissimè unum sunt, multis inadæquatis conceptibus quasi partiri atque in una illâ & indivisibili essentiâ plurâ pluralitate à parte rei nullâ datâ, concipere. Hinc adedò fit, ut primò essentiam, postmodum ea, quæ suo modo intelligendi ex illâ fluere videantur, per abstractos conceptus apprehendere anitatur.

§. 3. Nimirum conceptus prædicatorum divinatorum, quantum ad nostrum intelligendi modum, in duplici sunt differentia: *Quidam* conceptus ita Deo tribuitur, ut per illum in ratione talis essentiæ completè constituatur, ac ab omnibus rebus aliis distinguatur: includitque formaliter id, quod essentia divina, quat. talis, sibi primò vendicat, ac proinde se habet tanquam radix & origo, unde reliqua oriantur prædicata, ipse verò nullâ agnoscit rationem à priori, cur Deo competat, atq; hic conceptus Philosophis dicitur *primus & quidditativus*. Alii autem conceptis iis, quæ primum conceptum absolvunt, concipiuntur, & secundariò, dependenter scil. à primo, Deo convenire intelliguntur, ita, ut cur ei insint, ratio aliqua à priori, non quidem Physica & formalis, Logica tamen & virtualis assignari semper possit; atque hi *secundariis* appellantur. Vid. B. Slevogtus *disp. theor. 14 de P. D. G. §. 2*

§. 4. In assignando primo Dei conceptu cum immanè quantum inter se discrepent Philosophi tum veteres, tum recentiores Scholastici, nos illorum quam proximè ad veritatem accedere putamus sententiam, qui in Deo primò concipi censent, esse *Spiritum à se subsistentem*. Hic enim conceptus primò & immediatè Deum in ratione essentiæ divinæ constituere & ab aliis rebus distinguere, fons v. esse & radix reliquorum inde emergentium prædicatorum videtur: dummodò observetur, tò à se sumi non positivè, sed negativè, neque quamvis excludere productionem, sed illam tantum, quæ est ex nihilo.

§. 5. Qui post hunc primum in Deo concipiuntur, conceptus secundarii, istos ut plurimum *attributorum* nomine venire, res est inter Philosophos notissima. Attributum in præsentibus illud

illud nobis est, quod cum non sit de primo Dei conceptu, ab essentia divina, diversimodè intellectu nostro denominata, ratione distinguitur, & quamvis realiter Deo competat, cumque essentia divina secundum attributionem (uti loquuntur) reciproctur, conceptibiliter tamen eà est posterius, ac Deo sive per creaturas sive à creaturis inesse intelligitur. Hujusmodi attributa in Deo dari evidentissimum putamus inter alia ex eo, quod propter demonstrationes, quæ de Deo, utpote subiecto alicujus scientiæ, non totali quidem & adæquato, partiali tamen & inadæquato, formari possunt, necessariò ponendæ sine affectiones seu attributa realia, ad minimum latè sic dicta, de ipso per causas, si non formales, saltem virtuales demonstrabilia. Eo modo Deo inesse concipitur *Infinitas, Immensitas, intellectus, Voluntas, Vita, Omnipotentia & plura talia.*

§. 6. Ceterum, cum attributa hæc à parte rei cum ipsa essentia divinà identificari, & conceptibus tantum formalibus, iisq; inadæquatis ab eà distingui dixerimus; consequitur ulterò, nec ullum inter ea intercedere ordinem, secundum quem unum quoad rem sit prius altero. Quia tamen intellectus nec omnia attributa simul & distinctè intueri valet, sed unum sapissimè apprehendit, tanquam rationem, ex quâ inferitur aliud; hinc ordine inter ea constituto, unum ex alio, tanquam rivulos ex suo fonte deducit. Qualis ille inter attributa Dei constituendus sit ordo, juxta quem vel ex essentia vel ex aliis attributis deducantur, nostrum non est, hoc loco operosius inquirere. Vid. Scaliger *Exerc. 365. sect. 7.* Saltem, ut in rem præsentem veniamus, dubium non est, quin *Aeternitas* juxta cum aliis quibusdam attributis ad *Dei Infinitatem* sit referenda.

§. 7. Infinitas in formali dicit negationem finibilitatis s. terminibilitatis: Infinitum verò dicitur id, quod nullis terminis seu finibus definitur. Dantur autem termini *fines propriè* in quantitate molis, adeoque negatio eorum itidem *propriè* in quantitate. *Impropriè* & tralatiè dantur termini & eorum negatio in quantitate Virtutis. Deo ergo, omnis quantitatis *propriè* dictæ experti applicata Infinitas, dicit, cum nullis terminis s. finibus limitari, & negatur per eam finitudo in creaturis deprehensa, imò non actus tantum, sed & potentia finitatis. Porro, potest hoc, quod

Deus per suam infinitatem, nullis terminis s. finibus clauditur, pro diversitate terminorum per illam negatorum, diversimodè intelligi: 1. ratione essentiae, quando de ipsà essentiâ divina negantur termini, illam aliquo modo limitantes & circumscribentes, atq; tùm absolutè illa dicitur *Infinitas*. 2. ratione cognitionis tam sensualis, quam intellectualis, quat. excedit limites intellectus creati, quo minus ab illo plenè & adæquatè cognosci possit, & dicitur *Incomprehensibilitas*. 3. ratione effectuum & modi operandi, quat. ejus potentia non est limitata, aut ad certum aliquod objectum determinata, sed illimitata, ad infinita possibilia se extendens, eaque dicitur *Omnipotentia*. 4. ratione loci ac ubiætat, quat. nullo locorum intervallo terminari ac circumscribi potest, & dicitur *Immensitas*. 5. in ordine ad durationem, quat. duratio ejus nullos habet terminos, & est ipsa, quam sub manibus habemus, *Aeternitas*. Hinc adeò obscurum esse nequit, quomodo ex Infinitate Dei, tanquam ex communi quadam quasi scaturigine, cum aliis quibusdam attributis fluat Aeternitas, ad eandem postliminiò referenda, ex quo secuturæ nostræ tractationi quin lux aliqua sit affulsura, nulli dubitamus. Conf. B. D. Klotzius in *Pneumat.* p. 139. Max; Reverendus & Magnificus Dn. D. Mullerus in *Theol. Schol.* c. 5. p. 34.

THESIS II.

Aeternitatis vox, ut h. quidem loco capitur, notat durationem utriusque termini, tam à parte ante, quam à parte post, experientem.

§. Nequid hac vice de vocis origine dicamus, quod operosè jam egerunt Scaliger *de caus.* L. L. c. 31. Bechmannus *de Orig.* L. L. p. 198. & alii; operæ pretium est varias, quibus laborat, acceptionesevolvere. Impropria & abusiva vocis significatio ea est, quando complexè sumpta applicatur illi, quod inseparabile est ab aliquare, rei q; ita competit, ut & necessariò & semper insit. Ità æternum est, hominem esse rationalem, capacem disciplinæ &c. unde hæ similesque propositiones dicuntur æternæ veritatis, de quibus ad eundem Stalius *part. 1. Reg Phil* p. 17. Propriè & in complexè

plexè sumpta dicitur durationem quoad existentiam. Sed & eò modo interdum denotat durationem diuturnam quidem, per longū temporis tractum non interruptam, utrinq; tamen, tam à parte ante, quam à parte post terminatam. Ita servitus dicebatur æterna ejus, ejus aures erant perforatæ; & circumcisio fœdus erat æternum, cujus usus per continuum temporis tractum in Ecclesia obtinuit. Nonnunquam tribuitur illi, quod durationem habet aliquo modo, à parte scil. post, interminabilem, etsi à parte ante terminum habuerit. Sic piorum vita & visio beatifica, sic & impiorum mors & damnatio dicuntur æternæ. Hæc æternitas, ut ab æternitate propriissimè sic dicta, eò rectius distingui possit, vocari solet *ævum*. Quamvis enim ex vi vocis *ævum*, & æternitas idem fiat, & αἰών Græcis dicatur δὸν ἔμειναι, quasi αἰὼν, docente Aristotele l. i. de cœlo text. 100. ubi Argyropylos αὐταρχεστῆν ζωὴν καὶ αἰῶνα, vertit, *sufficientissimam sempiternitatem*: distinctioris tamen doctrinæ causa hodiernus istarum vocum usus, ex placito ceterorum Philosophorum, à pristina impositione aliquantò deviauit, ut jam res non æterna, sed in ævo dicatur constituta, quæ principium quidem, non autem finem habet. Propriissimè denique Aeternitas dicitur de eo, quod utroque durationis termino, à quo, & ad quem, caret, adeoque nec principium nec finem habet, quæ significatio ad nostram tractationem pertinet.

THESIS III.

Aeternitas Dei est attributum negativum, juxta quod ipsa essentia divina concipitur in durando interminabilis,

§. Ut assertio hæc, quæ totum tractationis nostræ argumentum uno quasi intuitu sistere placuit, eò rectius sibi constet, in eadem illustranda omnis nostra opera versabitur, distinctis positionibus exhibituri, quæ ad illius pleniorum evolutionem facere videbuntur.

THESIS IV.

Ad attributorum negativorum classem merito

ritò referenda Aeternitas, nullam tamen
de Deo negat perfectionem.

§. 1. Scilicet, quæ ex primo Dei conceptu alicujus instar
radicis exurgere diximus prædicata seu attributa divina, in duplici
sunt differentia: Quædam sunt positiva, quædam negativa.
Positiva illa dicuntur, quæ non solum in se sunt positivum quid, sed
& à nobis per modum positivi concipiuntur, & nominibus positi-
vum quid significantibus enunciantur. Et distinguuntur iterum
in *Respectiva* & *Absoluta*. *Respectiva* sunt, quæ respectum & re-
lationem ad creaturas, non qualemcunque (habent enim & absolu-
ta prædicata aliquem ad creaturas respectum, v. g. omnipotentia
ad creaturas possibiles,) sed talem inferunt, ut circa eas reali a&io-
ne, quæ sit extra se, Deus sese exserat. Talia prædicata sunt, cum
Deus dicitur *Creator, causa prima, primum movens, Conserva-
tor* &c. *Absoluta* sunt, quæ talem ad creaturas respectum non in-
volvunt, neque actionem realem extra Deum eliciunt. Hujus
generis sunt, *Intellectualitas, Voluntas, Vita, Omniscientia Dei*
&c. *Negativa* verò illa dicuntur, non quæ puræ negationes sunt,
sed quæ à nobis nominibus negationem vel explicitè & vi ipsius
vocis, vel implicitè & ratione significationis importantibus effe-
runtur. Ita *explicitè* negationem inferunt *Infinitas, immensitas,*
immutabilitas &c. *Implicitè* v. & ratione rei per ea significa-
te in negatione consistunt v. g. *Unitas*, quæ formaliter dicit ne-
gationem divisionis, licet eandem vi vocis & compositionis non
importet.

§. 2. Atque cum *Aeternitatis* vox in ratione formali dicat
negationem terminorum durationis, non vi quidem compositio-
nis, at significationis tamen: res dubitatione omni caret, ad attri-
butorum negativorum ordinem eandem pertinere. Inde Scotus,
citante Svarezio disp. 50. sect. 4. n. 10 *Sicuti*, inquit, *in attributo*
infininitatis includitur negatio termini perfectionis; ita in attribu-
to aeternitatis negatio termini durationis.

§. 3. Ea verò attributorum negativorum, quod vel ipsum
nomen svadere potest, est ratio, ut de Deo aliquid negent in crea-
turis deprehensum. Cum verò in creaturis reperiantur vel perfe-
ctiones vel imperfectiones; attributa negativa non negant de Deo
perfe-

perfectiões. Illas enim quia in creaturis existunt, præexistere oportet in suâ causâ vel formaliter vel eminenter; & modo quidem longè nobiliori, quàm quo in creaturis reperiuntur. Negant ergò solummodò imperfectiones, quibus creaturæ laborant. Nimirum, quia intellectus agnoscit, in Deo esse debere omnem perfectionem sine ullâ imperfectione, ideo imperfectiones in creaturis deprehensas, Deo verò indignas, ab ipso simpliciter removet. v. g. cum in creaturis tanquam imperfectiones agnoscit, divisionem, compositionem, finitatem, mensurabilitatem per spacia, mutabilitatem, mortalitatem &c. removet hæc omnia à Deo, & concipit eum ut *unum, simplicem, infinitum, immensum, immortalem &c.* Simili planè ratione intellectus considerans, quanta cum imperfectione sit conjunctum, habere durationem vel utrinque, vel ab alterutrâ saltem parte terminabilem, eadem de Deo negatâ tribuit ipsi oppositam perfectionem, durationem scil. nullis terminis circumscriptam, i. e. *æternitatem.*

S. 4. Ceterùm, etsi attributa negativa aliquid de Deo negent, tantùm tamen abest, ut cognitionem gignant merè negativam, secus enim de Deo nihil per illa cognosceretur, ut potius perfectiorem præ se ferre videantur essentia divinae representationem, quam positiva. Inter omnes enim conceptus, quos de naturâ divinâ formamus, negativi censendi sunt affirmativis perfectiores, quod docet ex *Dionys. de mystic. Theol. c. 1. & de celest. Hierarch. c. 2.* itemque ex *August. in Psalm. 85. & tract. 23. in Johann. Gregorius de Valentia Tom. 1. disp. 1. quest. 3. punct. 1.* Ratio est: quia in affirmativis propositionibus prædicatum, quod in Deo esse affirmatur, non distinctè & adæquatè cognoscitur, sed confusè & velut in communi. Cum enim dicimus, v. g. *Deus est sapiens*, non concipimus distinctè & adæquatè sapientiam illam, quâ Deus est sapiens, sed *confusè*, hoc ipso videlicet quod concipimus, quandam Deo inesse perfectionem respondentem sapientia, quam tribuimus creaturæ intellectuali, quæ perfectio longè, imò infinite præstantior sit in Deo, quam sapientia creaturæ intellectualis. Quod si ulterius de hoc & aliis, quæ Deo affirmativè tribuimus, prædicatis, velimus distinctum conceptum formare, statim occurrit nobis conceptus conveniens perfectioni creatæ, quæ eodem vocabulo solet significari, qui proinde conceptus à Deo est removendus.

B

tivo-

tivorum. In propositione enim negativa de Deo non negatio solum est vera, sed etiam adæquatè & distinctè cognoscitur, quod de Deo negatur, prædicatum, eò quod est quid creatum, ut cum dicimus, Deum non esse corpus, ve esse incorporeum. Atque ita ex negativis perfectior, quam ex affirmativis Dei prædicatis redundare videtur cognitio, saltem quoad quandam notitiæ claritatem.

§. 5. Neq; tamen id eò velimus intellectum, quasi attributa negativa, præterquam quod talem negationem importent illius rei, quam nos per illa distinctè cognitam ob suam imperfectionem à Deo removemus, etiam eminentiorem quidditivæ Dei cognitionis gradum inferant. De eò enim si quærat, fatendum omnino est, conceptum positivum, quem attributa etiam negativa quoad rem involvunt, non magis per eadem à nobis apprehendi, quam per affirmativa. Unde si quis hac ratione negativis attributis perfectiorem essentiæ divinæ representationem de negatâ velit, fecerit id nobis non repugnantibus. Licet enim formaliter aliquid de Deo negent, materialiter tamen & fundamentaliter positivam innuunt perfectionem, quam nos nec positivo aliquo vocabulo exprimere, nec majori felicitate, quam, quæ affirmativo conceptu descripta sunt, assequi valeamus. Sic e. g. immaterialitas, immortalitas &c. formaliter quidem remouent aliquid de Deo, illa corpus, hæc mortem; materialiter tamen illa ponit Spiritum, seu essentiæ spirituales, hæc vitam. Quò pertinet, quod Isidorus alicubi eleganter dicit; *In illis negationibus, quas de Deo efferimus, non simplicem ac solam inesse negationem, sed excellentiores ibidem positiones, affirmationesque delitescere.* Æternitas ergo, utut de Deo negat actum, imò non actum tantum, sed & potentiam finitudinis in durando in creaturis repertæ, dicit tamen simul oppositam positivitatem, permanentiam scil. in existendo undiquaque interminatam.

THESIS V.

Etsi autem Æternitas positivi quid dicat, nihil tamen superaddit essentiæ divinæ realiter ab ipsa

ab ipsa distinctum, sed est ipsa essentia
divina concepta cum interminabilitate
in durando.

§. 1. Si quidem prima vocis impositione standum foret, videri poterat, attributo significari id, quod essentiae rei supervenit, quo sensu diversi quid involvit ab essentia ipsius, cui attribuitur. Ceterum ab illo rigore hodiernus vocis usus, ut in multis aliis, ita remissit, ut jam non omne statim attributum distinctionem realem à subjecto importet, sed sufficiat, si ratione saltem differat ab eo, quod de Entis attributis manifestum est. Quid? quod Philosophi nonnulli hoc inter *attributum* & *affectionem* (quæ voces ab aliis pro Synonymis Grammaticis habentur) observent discriminis, ut illæ demum proprietates, quæ realiter ab essentia, unde promanant, differunt, vocentur *affectiones*; illæ quæ realiter cum essentia identificantur, proprio nomine appellentur *attributa*. Conceptus ergo ex essentia divinâ secundariò quasi fluentes, quos *attributa* dicimus, id nominis haud sustinent, ac si essentia divinæ reale quid ab ipsâ distinctum superaddant. Talia enim attributa, cum insignem sapiant imperfectionem, perfectissimo Numini adscribenda haud esse, res ipsa loquitur. Cujus ratio luculentissima hæc est, quia nihil reale, (quod quidem affectionis rationem habere possit) ad essentiam alicujus rei addi potest, nisi quod sit accidens. At verò cum DEO omnis compositio ex substantia & accidente simpliciter repugnet, (accidens enim illud si foret, essentia corruptivum, divinitati, quam corrumpi implicat, repugnaret: sin perfectivum, essentia divina in se non esset perfecta, sed aliunde extrinseco accessorio perficeretur, quod iterum implicat) sequitur oppidò, attributa Dei nequaquam esse accidentia. Impius adeò, ut mollissimè dicam, est Conradus Vorstius, qui *not. ad disp. 3. de Deo p. 208.* Deum compositionis alicujus accusaturus attributa Dei accidentium rationem habere, evincere nequicquam est conatus, cujus ratiunculas fumo leviores abunde discusserunt præ cæteris D. D.: Calovius T. 2. *Syst. Theol.* p. 235. & B. Gravverus in *quæst. illustr.*

§. 2. A sensu tamen Vorstiano longius absunt, quam ab imâ terra summum coelum, qui vel ex antiquioribus Ecclesiæ Pa-

tribus, vel ex Scholasticis, vel Nostratibus etiam Philosophis, attributa divina *accidentia* vocari posse censuerunt. Quorum sententia rectè explicata cum nullius Deum imperfectionis possulet, ut è melius constet, sciendum, Vocem *accidentis*, quantum ad præfens, tripliciter posse accipi: 1. Pro eo, quod continetur sub quinto prædicabili, quarto v. quod proprium vocari solet, opponitur & dicitur *accidens prædicabile*. 2. ut opponitur substantiæ, & dicitur *accidens prædicamentale*, quomodo accipitur, cum ens in substantiam & accidens dividitur. 3. ut opponitur essentiæ, vel ei quod est de essentiâ; & sic dicitur omne id, quod cum alicui competat, non est tamen essentia, vel de essentia & ratione ejus formalis. Cùm *Vorsius* attributa in Deo accidentia esse, voce medio sensu acceptâ, statuerit; hi posteriores saltem ultimo significatu id admittere non dubitarunt, quum & ipsa nostro concipiendî modo primum Dei conceptum non ingrediantur, sed ex illo tanquam ex communi fonte fluant. Ulterius tamen observandum, probè, quod *Accidens* secundum hunc loquendi modum itidem sit duplex: *Physicum*, & *Metaphysicum*. *Physicum* dicitur illud, quod, cum realiter sit distinctum ab eo, cujus accidens dicitur, imperfectionem importat, facitque compositionem ex subjecto & tali accidente realem. *Metaphysicum* illud dicitur, quod, cum non realiter differat ab eo, cujus est accidens, nullam etiam importat imperfectionem vel compositionem, formaliter enim in hoc consistit, quod ratione saltem nostrâ sit extra rei conceptum, in qua ceteroquin est: unum autem esse extra conceptum alterius ratione nostrâ, nullam infert imperfectionem. Denique nullam compositionem facit, nisi forte eam, quæ rationis dicitur, quam Deo constat non repugnare. Licet jam tùm per summam Dei simplicitatem, tùm per infinitam ejus perfectionem prohibeamur, quo minus in Deo accidentia statuamus, quæ *physica* vocari solent: causæ tamen dici nihil potest, cur non attributa illius accidentia appellentur *Metaphysica*, saltem ex eo, quod extra essentiæ conceptum sint, & nostro concipiendî modo ex eadem, ut proprietates creaturarum ex essentiâ, fluant, quantumvis à parte rei idem sint cum ipsâ; nec enim hoc sensu ratio accidentis aliquid dicit à parte rei, sed tantùm est per intellectum, perinde atq; ratio attributi, quod hoc nominis inde habet, quia intellectus noster per id Deo aliquid attribuit ad modum proprietatis. §. 3. Cum

§. 3. Cùm hæc eo, quo diximus, modo se habeant, fixum
 immotumque manet, æternitatem à parte rei nihil positivi, quod
 quidem ab ea sit distinctum realiter, essentia divinæ superaddere;
 quin potius dicimus, Æternitatem esse ipsissimam essentiam divi-
 nam, conceptam cum connotatione interminabilitatis in durando.
 Scilicet, nequaquam à nobis concipienda Æternitas est, quasi in-
 ter eam, sive ad essentiam ipsam, sive ad alia attributa divina con-
 feratur, intercedat distinctio realis, uti vocatur, major, qualis est
 inter rem & rem, quod statuisse dicitur *Gualtherus* quidam, & *Gil-
 bertus Porretanus*. Vid. *Becanus Theol. Scholast. cap. 1. qu. 1.* neq;
 ac si æternitatis alia detur formalitas objectiva, secluso intellectus
 actu, ex natura rei distincta à formalitate ipsius essentia, itemque
 reliquorum attributorum, uti ita distinctio realis minor, & qui-
 dem formalis inter illam & essentiam divinam locum habere pos-
 sit: quæ sententia adscribitur *Scoto*, acrius verò defenditur à discipu-
 lis. Vid. *Johann. de Rada lib. 1. Controv. 4.* *Nicolaus de Orbellis*
l. 1. Physic. aliique: Sed, cum essentia divina per mentis nostræ
 operationem in se habeat, unde possit terminare, fundare & veri-
 ficare conceptum intellectus nostri formalem, quo in eam tan-
 quam omnibus temporis differentiis sine termino coexistentem,
 tendimus: (quippe in quâ, tametsi objectivè & quidditivè unâ,
 omnes omninò perfectiones, sumptæ præcisè quoad formales ear-
 rum rationes abstractas, modò non involvant imperfectiones; &
 ita quoque perfectio, quâ omnibus temporis differentiis coex-
 istere intelligitur, duratio scil. interminabilis, per actus mentis di-
 videnda & cum duratione rerum creaturarum componenda, conve-
 niant & reperiantur,) rectè æternitas dicitur per illam intellectus
 negotiationem ab essentia divina & attributis aliis distincta, eminen-
 ter seu virtualiter, adhibitâ notionem distinctiōis virtualis eo sensu,
 quem *Cajetanus* de *ent. Essent. qu. 12.* innuit: quod sc. sit illud,
 quod in objecto reipsâ indistincto antecedit, propter quod intelle-
 ctus possit objectam illud concipere, ut multiplex, & variis in illud
 ac saltem non synonymis conceptibus formalibus tendere, per quos ob-
 jectum illud actualiter accipiat multiplex esse intellectam. seu di-
 stinguatur de facto per mentem.

§. 4. Unde ultrò consequitur, attributum hoc æternita-
 tis, tum ab essentia, tum ab aliis attributis tantum ratione distin-

qui per hoc, quod intellectus concipiat aeternitatem cum aliqua connotatione, diversâ à connotationibus vel ipsius essentiae, vel reliquorum attributorum, utut idem maneat conceptus objectivus. Atque hæc distinctio facit, ut jam nec de essentia nec aliis prædicari attributis possit. Equidem essentia divina, ut & attributa alia reciprocantur cum aeternitate, quat. in Deo concipitur secundum rem, ut aded in sensu identico, quo significatur objectum secluso nostro concipiendi modo, dici possit: essentia divina est aeternitas divina, &, aeternitas divina est immensitas divina: sensus enim est, essentiam divinam secundum rem idem esse cum aeternitate divina &c. Ut aded huc pertineant illæ formulæ, quibus antiqui usi leguntur: *Deus est sua aeternitas*. Ita definitum est in Concilio Rhemensi, teste D. Bernhardo serm. 80. in Cantica, & idem antea disertè asseruit D. Gregorius l. 16. Moral. c. 27. conf. Thomas p. 1. qu. 10. At quemadmod. ea, quæ ratione distinguuntur, in sensu formali s. reduplicativo, de se invicem prædicari nequeunt (quia hic sensus includit non solum objectum, sed & nostrum concipiendi modum) ita quoque essentia & attributa enunciari cum redduplicatione de aeternitate nequeunt. Hoc enim sensu dici non potest: v. g. Essentia divina est aeternitas divina, & aeternitas est immensitas divina: nam habent sensum reduplicativum, & in his reduplicatur modus concipiendi hæc ferè ratione: Essentia divina, quat. concipitur in se, conceptu primo, tanquam radix & origo attributorum, est aeternitas, quat. concipitur, ut attributum essentiae posterius &c. &, aeternitas, quat. concipitur in ordine ad temporis differentias, quibus Deus sine successione coexistit, est immensitas, quat. concipitur in ordine ad quodvis spatium vel ubi, cui Deus sine ullâ sui mutatione adest, ut tamen ab illo non mensuretur. &c. quales enunciandi modi sua se absurditate jugulant.

§. 5. Ut verò quomodo hoc attributum tum ab aliis attributis, tum ab ipsa essentia divina distinguatur, eò facilius appareat, ex abundantia quasi reperimus: Essentiam divinam objective unam & simplicissimam esse entitatem, intellectu nostro adæquatè & totaliter uno conceptu non apprehensibilem; quam proinde in plures conceptus, quorum singuli illam representent inadæquatè, partiendo, nunc concipiamus in ordine ad essentiam creatam,

creatam, quâ ratione dicitur essentia; tunc in ordine ad actum mi-
serendi, quo pacto appellatur misericordia; nunc ut nullo spatio, seu
vero seu imaginario mensurabilem, quo modo dicitur immensitas;
nunc ut interminabiliter durantem, qua ratione dicitur aternitas.
Neque verò in hoc intellectus noster errat, aut falsus est. Quam-
vis enim essentia divina unum quoad rem dicat conceptum obje-
ctivum: multiplex tamen iste est in ratione nostrâ, seu modo no-
stro concipiendi. Unde singulis formalibus conceptibus, quibus
ipsa inadquatè apprehenditur, respondent singuli conceptus ob-
jectivi, non quidem re, sed ratione distincti. Cum verò hi con-
ceptus nostri formales extra divinam sint essentiam, extrinsecè il-
lam denominantes, patet, nihil Deo eas detrahere, nihil apponere,
sed ipsam essentiam Dei esse & manere simplicissimam & immuta-
bilem, licet aliter atque aliter à nobis concipiatur. Atque hæc
hactenus. Conf. Svarez *disp. Metaph. 7. § 30. passim.* Mendoza
disp. Metaph. 3. sect. 1. § disp. 6. &c. Gregor. de Valentia. T. 1. *disp.*
qv. 13. punct. 3. Slevogtus *de Conc. D. pr. §. 43. aliq.*

THESIS VI.

**Æternitas in formali spectata nihil est aliud,
quam duratio interminabilis; ubi conce-
ptum communem exprimit Duratio.**

§. 1. Quùm essentia divinæ ab attributis, & horum à se
in vicem, distinctionem omnem in conceptibus intellectus nostrî
formalibus consistere dixerimus: opera nunc est pretium, in con-
ceptum, quem de Aeternitate Dei intellectus format, quique dis-
similis est conceptui essentiæ, reliquorumq; attributorum forma-
li, paulò altius inquirere. Circa illum verò eruendum feliciori-
bus nobis progredi non licet, quam si, quamnam Aeternitatis in se
& secundum se spectatæ, præcisò suo subjecto, cui per modum
formæ denominantis inest, sit ratio, consideremus. Formalis
æternitatis ratio cùm ab aliis alia adsignari solear, recepta tamen
maximopere est illa, quam Boetius l. 3. de Consolat. Philos. pro-
pos. 2. intendit, quod sit *interminabilis vita tota simul & perfecta
possessio*: in qua explicanda nimium quantum laborant Thomas
p. 1. qv. 10. art. 2. Pererius *lib. 12. de temp. c. 9.* Armandus de bello
*Visu l. 2. Term. c. 63. Fr. Svarez. disp. Met. 50. sect. 3. §. 6. Fr. de
Oviedo*

Oviedo P. C. 16. p. 2. n. 1. Ruvius l. 4 Phys. tr. post. de aetern. & aeo n. 76. De qua quid sentiendum, inquirere nil attinet, ex dicendis tamen fortasse intelligetur. Nos ad duos cumprimis conceptus respiciendum putamus; *communem* alterum, eum scil. qui ipsi cum suis conspicietur, ut Philosophi loqui amant, convenit; alterum *proprium*, per quem ab iisdem distinguitur.

§. 2. Conceptum Aeternitatis communem hac thesi, prout fieri potest, expedituri, dicimus, eum esse Durationem, à quo cum aeo & tempore, tanquam suis conspicietur aequaliter participat. Ceterum, Duratio quod sit, non omnes eodem modo explicant. Thomistae, notante Svarezio l. c. sect. 2. n. 8. naturam durationis constituunt inter *ratione & relatione mensurae*. De quorum sententiâ ut eò rectius ferri iudicium possit, sciendum, Mensurae rationem non contineri peculiari aliquo entis gradu distincto ab aliis entibus reipsâ, secundum quem res aliqua intelligatur habere se certo quodam modo, ad eas res, quae dicuntur mensuratae. Nulla enim realis apparet habitudo, praeter habitudines causarum ad suos effectus, vel objectorum ad potentias proprias. Sed mensura ex mente Philosophi 10. Metaph. c. 2. & 3. dicitur omne id, ex cuius cognitione ducimur in cognitionem alterius. Itaque tunc rem aliquam vocamus *Mensuram*, cum eam talem concipimus, ut ex cognitione eius veniamus in cognitionem alterius rei, quam per illam mensurari dicimus. Cum autem variis modis ex cognitione unius oriri possit alterius rei cognitio, ac proinde variis modis *mensurae* nomen usurpetur, maximè propriè, ut ait l. c. Philosophus, *Mensura dicitur id, quod nos ducit in cognitionem quantitatis rei*. Est quae pro diversitate quantitatis duplex: Mensura Quantitatis Perfectionis, juxta quam primum & perfectissimum in quolibet genere, dici solet metrum & mensura aliorum, quatenus per illud venimus in cognitionem perfectionis rei, animadvertendo ex operationibus & aliis indiciis, quantum quaelibet res perfectissimo assimiletur, vel ab eo distet, in suo quaque genere: Et Mensura quantitativarum propriè dictarum deducimur. Haec mensura extensionis (prior enim ad praesens nihil facit), rursus sumi potest dupliciter: vel in sensu activo, vel in sensu passivo. Haec dicitur illud, per quod res apta est, ut mensuretur ab alio, & est idem, quod mensura

mensurable sc. per mensuram activè sumptam. Illa vocatur id, per quod sive quo alia mensuramus, quomodo v. g. ulna dicitur mensura panni, quat. quantitate ulnæ ad pannû applicatâ, vel multiplicata deducimur in cognitionem quantitatis panni.

S. 3. Quibus prænotatis, in proclivi jam est, decernere, durationem in formali & abstractè spectatam nec esse quiddam mensurable, nec quid mensurans. Primum facillè patet. Si duratio quâ talis s. in formali est mensurabilis, omnis duratio ita se habebit. A quatenus enim ad de omni V. C. At consequens sine dubio falsum est. Duratio enim æterna, cum sit infinita, nulli se mensuræ, quâ menseatur, subjici patitur, neque cognoscibilis est ad modum quanti per applicationem alterius notioris. Quid? quod nec quidem duratio creata mensurabilitatem in formali importat. Est nempe mensurabilitas tantùm affectio quædam durationis, eam tanquã posterior consequens, eum mensurable secundùm durationem, supponatur habere durationem, quemadmodum mensurable secundum quantitatem supponitur habere quantitatem. Nullus autem conceptus consequens s. affectio rei potest esse formalis ratio s. conceptus ejusdem rei intrinsecus & constitutivus. E. nec mensurabilitas, quæ est aliquid consequens durationem, potest esse formalis ratio ipsius durationis. Posterius eadem facilitate probatur. Aut enim duratio mensurat aliquid, quod est in re durante, aut quod extra illam. Si prius, tum duratio in re vel mensurabit ipsam durationem, aut ipsum esse rei durantis: non ipsam durationem, quia sic idem mensuraret seipsum, quod fieri nequit, cum mensura mensurato debeat esse notior; idem autem non simul notum & ignotum est: nec ipsum esse rei durantis, quia (saltem quoad ordinem nostræ apprehensionis) prius quiddam videtur ipsa duratione, unde mensurari potius debebat duratio per illud esse, quam illud esse per durationem. Sin posterius, jam id, quod accidentale durationi est, diceretur ejus formalis ratio, extrinsecum siquidem quippiam mensurare, durationi planè ex accidenti competit, cum remoto & destructo omni extrinsecos nihilominus durare sit dicenda. E. nec in mensuratione alicujus extrinseci, formalis durationis ratio potest consistere. Vid. Svarez. l. c. Mendoza disp. 17. sect. 1 §. 3.

S. 4. Alii durationis rationem constituunt in coexistentia ad aliud. Atque illis quidem duratio videtur denominatio purè extrinseca

thommas

B

extrinseca

extrinsecā. Præsupponunt enim aliquam rem, ut durare possit, debere simul existere cum aliquo extrinseco, tempore sc. reali, actuali vel potentiali. Ne verò Deum absq; omni coexistentia rerum aliarum ab æternitate durantium durasse, concedere teneantur, ulterius progressi, commenti sunt, *tempus*, nescio, quod, *imaginarium*, quod sit *ens rationis sive à nobis fictum successivum ad similitudinem entis realis, ut in ordine ad illud fictum tempus explicemus diversitatem durationum*, dicente Arriaga, à quo imaginario tempore Deum denominari posse, & mediante hac denominatione Deum nancisci durationem, profiteri non dubitarunt. De horum sententiâ ita habendum: à nobis quidem, quæ intellectus nostri imperfectio & imbecillitas est, nihil concipi durare, nisi connotando tempus, neque durationem unius rei commodius cognosci posse, nisi per coexistentiam alterius rei durantis: formale tamen durationis, quo minus in coexistentia ad aliud collocandum censeamus, hoc impedit, quod denominationes illæ temporum, ex coexistentia rei ortæ, rei sint extrinsecæ, durationes verò rebus insint, extrinsecis omnibus sublati & remoti.

§. 5. Ne longè abeamus, dicimus, durationem formaliter esse *permanentiam in existentia*. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, *permanentiam* vel *permansonem bifariam* accipi posse: Uno modo, quat. ly *permanens* contradistingvitur *successivo*; hoc sensu permanens dicitur, quod omnes partes sui esse habet simul, v. g. cœlum, homo. &c. Atque ita permanentiam non sumi, res ipsa loquitur. Nam & ipsa entia successiva durant & permanent, imò ab illis vox durationis præcipuè videtur desumpta. Altero: quat. ly *permanens* generalius explicatur, ut indifferens est ad esse successivum & esse permanentem specialiter sic dictum: juxta quam acceptionem entia etiam successiva rectè dicuntur permanere in sua existentia. Hic permanendi significatus hujus est loci. Nec incommodè à nonnullis videtur ille describi & explicari *negativè*, ut permanere in esse hæcenus nihil sit aliud, quam *non statim destrui*, quod & rebus permanentibus speciatim sic dictis & successivis commune est, imò non iis tantum, sed ex eorundem sententiâ, etiam instantaneis, quippe quarum, quando sunt, non destruuntur, ac proinde eo sensu permanere dici possent.

§. 6. Hac verò Entis permanione in existentia putamus commodè

commode absolvi *Durationis formalitatem*: quod non tantum ex remotione omnium aliarum opinionum relinquitur, sed res ipsa super ipsa exigere videtur. Scilicet, uti res concepta, ut in causis non amplius latet, sed extra easdem est constituta, formaliter concipitur ut existens: ita eadem res, concepta ut in existendo perseverans, seu in existentia permanens, formaliter concipitur, ut durans. Neque, ut res existens durare dicatur, quicquam existentiae superadditur, quam permanentia. Est tamen hoc loco magnopere tenendum, permanentiam existentiae nihil superaddere realis, quod ab ipsa quoad rem sit distinctum. Quo minus enim contrarium statuamus, praeterquam quod Summa Dea simplicitas prohibet, ipsa etiam rei absurditas impedire videtur. Si quidem enim duratio esset modus existentiae superadditus, vel aliquid reale, illud reale etiam perseveraret, haberetque durationem per aliud reale vel modum superadditum, quod itidem per aliud reale accessorium duraret, quo stante progressus pateret in infinitum, à quo tota abhorret natura. Quin si existentia & duratio realiter differrent, possent ex à Deo saltem per potentiam absolutam ab invicem separari, separatione ad minimum non mutuâ, & res quaedam in existendo conservari, quae tamen duratione careret, quod ex numero *ἴσων ἀδυνατῶν* habere non dubitamus. Non ergo permanentia existentiae quicquam superaddit, nisi quod ratione, ratiocinata quidem, ab ea est distinctum. Permanentia enim in esse, in qua durationem consistere dicimus, non est aliud esse, vel alia entitas distincta ab eodem esse, sed est quasi idem esse, ut permanens; Quod illustrari potest exemplo *Creationis & Conservationis*, de quibus communis tenet sententia, non esse actiones realiter distinctas, sed solâ ratione, ex eo, quod creatio terminatur ad esse rei producibilis; conservatio vero nihil est aliud, quam continuatio *ἢ* esse ejusdem rei productae. Vid. Thomas *p. 1. qv. 104. art. 1. ad 4.* Celeberr. Theologus noster Dn. D. Müllerus, in *Theol. Schol. c. 18. p. 224.*

§. 7. Ne hanc Durationis formalitatem sine omni Duce, auspice aut comite adeoq; sine populi suffragio constituisse videamur: produci à nobis sententiae nostrae faventes ex Philosophis possunt tantum non illustrissimi. Ita Scaliger definit Durationem, quod sit *continuatus tractus essendi*. Exerc. 359. sect. 7. Pererius l. 12. Phyl. c. 5. inquit: *Duratio est quantitas vel extensio s. mora quaedam ipsius*

ipsius existentie. Fonseca 5. Metaph. c. 13. quaest. 12. sect. 1. est continuatio aut permanentia ipsius esse rei. Suarez d. Met. 50. sect. 2. §. 9. consistit formaliter, inquit, in permanentia in existendo. Plures adde re super sedemus.

S. 8. Ab hac formali Durationis ratione, cum non minus ac cetera ejus species Aeternitas participet, quippe quae permanentiam infert in existendo omnibus numeris absolutam; nemini non manifestum est, sub eadem tanquam quodam genere aeternitatem contineri. Quam in re prolixiores esse prohibemur, ejus ulterius deductionem, & quae ceteroquin ad conceptum specifi- cum eruendum spectant, posteriori, si vixerimus, reservantes Disquisitioni.

*Pulpa scande, cie doctissima praelia, sterne
Adversos victor; gratulor illa tibi.*

Quibus affectum suum Doctiss. Dn. Respondenti contestari voluit

M. FRANCISCUS WOLFIUS,

Log. P. P. & p. t. DECANUS.

*Cunctorum qui Principium est, & terminus idem,
Is sine principio est, & sine fine DEUS.*

*A se Principium capit, in se desinit ipso,
Qui vitam à nullo, non moriturus, habet.*

*Ac velut emeritis semper remeabilis annus
Cursibus in gyros itq; reditq; suos:
Sic redit in sese, nullo sibi tempore dispar,
Ut fuit, ac hodie est, sic manet usq; DEUS.*

*Hac Te cura manet, mecumq; amplexibus istis
Numinis in Vita mens studiosa stupet.*

*Quam Tua, KOPSTADI, distant commercia vulgo,
Ut vulgo ignaro Tu magis arte sapis!*

*Hic humilem terris spiritum mutabilis auram,
Cum Cerere & Baccho dividit ille genus.
Tu Calo fixos, stabilesq; in Numine sensus,
Palladiam multum peditus arte, tenes.*

*Hi, precor, accrescant in Te felicitate ignes,
Et studiis flagret mens magis alta poli.*

*Eruditiss. Dn. KOPSTADIO, felices studiorum
successus gratulatus Lmq; app.*

1702

PRÆSES.

mensurabile sc. per mensura
per quod sive quo alia mens
mensura panni, quat. quanti
multiplicata deducimur in cogn

§. 3. Quibus prænot
duratiorem in formali & ab
mensurabile, nec quid mensu
quâ talis s. in formali est me
bit. A quatenus enim ad de
falsum est. Duratio enim a
luræ, quâ mensuretur, subij
modum quanti per applicatio
nec quidem duratio creata m
Est nempe mensurabilitas tan
tanquã posterior consequens,
nem, supponatur habere dura
secundum quantitatem suppo
autem conceptus consequens
tio s. conceptus ejusdem rei
mensurabilitas, quæ est aliqui
formalis ratio ipsius duratio
batur. Aut enim duratio n
rante, aut quod extra illam.

mensurabit ipsam durationem, au
durationem, quia sic idem m
cum mensura mensurato deb
mulnotum & ignotum est: n
tim quoad ordinem nostræ a
tur ipsa duratione, unde men
lud esse, quam illud esse per
id, quod accidentale duration
extrinsecum siquidem quippi
accidenti competit, cum re
res nihilominus durare sit dic
cujus extrinseci, formalis dur
Svarex. l. c. Mendoza *disp.* 17.

§. 4. Alii durationis rat
ad aliud. Atque illis quidem

8bommo8

tam. Illa vocatur id,
modo v. g. ulna dicitur,
innû applicatâ, vel mul
titudinis panni.

ri jam est, discernere,
am nec esse *quiddam*
facile patet. Si duratio
nis duratio ita se habe
consequens sine dubio
in infinita, nulli se men
que cognoscibilis est ad
notioris. Quid? quod
m in formali importat.
ædam durationis, eam
bile secundum duratio
dmodum mensurabile
quantitatem. Nullus
potest esse formalis ra
constitutivus. E. nec
urationem, potest esse
eadem facilitate pro
id, quod est in re du
duratio in re vel men
i durantis: non ipsam
um, quod fieri nequit,
; idem autem non si
eidurantis, quia (sal
prius quiddam vide
ebat duratio per il
Sin posterius, jam
ur ejus formalis ratio,
e, durationi planè ex
ucto omni extrinseco
in mensuratione ali
otest consistere. Vid.

unt in coexistentia
r denominatio purè
extrinseca

